IN

FLOIDUM,

Asaphensem Episcopum,

SCOTORUM

Reges, Regnum, Ritus Sacros, Illacessitis Calumniis & immeritis, Exprobantem, Lacerantem, Traducentem, Versiculus unus & alter Hortatorius.

Sedens Fratri tuo obloqueris; in Filium Matris tuæ edis infamiam. Psal. 50. vers. 20.

by Mr James Cunningham



Impressus *Anno DOM.* 1685.

Typographus Lectori.



IR perversitatibus deditus (*inquit* Solomon) *contentionem immittit, addens in subsequentibus*, ut carbo ad prunas, & ligna ad ignem; Ita vir contentiosus est ad accendendum Litem. *Cum ergo, post tot & tantos exhaustos hinc inde Sanguinis & Sudoris Thesauros*, *Quæstiones lethaliter aculeatas, non solum intempestive*, *refricare prurit* Asaphensis Episcopi *penna nimis otiosa*, *sed Præfatiunculâ Patroni* (*qui*,

ειρηνην ***cupiens cudere, cudit*** εριν)

Bellum Nostratibus, *priscis nostris pro Regibus indicit*, *decennale*; *Lepidos hosce Numeros* (*hactenus apud Authorem Latitantes*) *Velitis loco*, *Prælo subjicere placuit*. ***Lege***, ***Vive***, ***Vale***.



Compatriotis suis Generosis,

Asaphensis Episcopi Calumnias,

Contundere meditantibus Paræneticon.



Linguis, *Cræsum* cernens Mucrone petitum,
Parce precor *Regi*, parcito! clamat *Atys*:
Hîc, *Rex* non unus; ter deni, ter quoque terni;
Cum Patria & Sacris, Proh! Holocausta cadunt.
Vos, quibus est cordi Patrios insurgere in hostes,
Et tetricos Momos tundere fuste suo,
Perdite nil animi: Vobis nam Pagina multa
Ausonis assurgit, sæpe *Pelasga* favet.

Authores magni, *Floido* vix nomine noti,
  Astant; Membrana & plurima præbet opem.
Succurrunt Vobis etiam vel pondera rerum:
  Si modo vel Judex, Lector & æquus erit.
1 Carmina *Bardorum*, *Druidum* Dictamina fida;
  Thrasoni huic *Cambro* claudere Labra queant.
2 Hunc Adamantæum *Rupes Fergusia* Clerum
  Molliet, aut saxo surdior ille stupet.
3 Quin *Scotis* firmat (nec & hæc pudet addere) Reges,
  Sancita *Eveno*, sed magè prisca *Venus*.
4 Symmachus adveniet, Præco qui Laudis *Honori* est;
  Quantumvis nostris Lurida threna canit.
Mittet & auxilium Pugnax 5 *Germania*, *Roma* 6
  Adjutrix præsto est, Scrinia grata Legens.
Hispanâ *Tacito*, si sint de Gente *Silures* 7
  Zoilus *Albinos* rodere vultnè *Silur*?
Quanta *Silurum* audit Gens quæso 8 *Cambra*. 9 Tribules
  Ergòne proscindat 10 *Pseudo-Britannus* ovans.
Asaphides Scotis ingratus! Symbola gratus
  Asaphus 11 incoxans, *Scotica* dona refert.
At Patre vix dignum *Floidum* *Mungone* benigno,
  12 Nostrate; ingeminat *Glasgous* omnis ager.
Ille Animæ Pastor, *Christo* qui perdere Ovile
  Ambit, dans Animas per tria sæcla neci?
Subditus annè bonus, cineres qui spargit in auras
  Tot *Regum*, spernens *molliter ossa cubent*?
Illene Pacificus, qui Lege & Pace sepultas, 13
  Ansas rixarum sic dare promptus avet?
Hæc referens (*Regno* & *Clero* mala) semina *Cadmi*,
  Ut sibi vel plaudat, *Turbo-Britannus* erat.
Macte, agite O Cives: *Albinis* reddite Reges,
  Cum Patria; & *Scotis* Sacra Vetusta suis.
Efficite & curis, ne posthac *Fragmina Luddi* 14.
  Albinis valeant ulla molesta fore.

Pr

Præmia nec deerint: Quid, quondam *Romula* tellus,
Servati Civis *Civica* serta dabat.
Scotia pro *Sacris*, pro *Sese*, proque *Monarchis*;
Dicite, quot Vobis *Annua* serta dabit.
Ipse *Pater Patriæ* quot mandet; Tempora cingent
Cum *Populo*, *Proceres*; *Scotus* & *omne genus*.
Quot pia vota dabit Clerus moderatior; *Euge*!
Quæque canet Virgo, Fœmina, Mater, Anus.
Reddite Susceptum (rumpente vel ilia *Floido*)
Hinc oritur *Vobis* haud periturus honos.

Succinebat,

Jacobus Cunigamius.

NOTÆ.

1. DRuides non solum rebus Divinis interfuere, sed omnium Sacrorum (inter quæ tum temporis, Regum Genealogiæ & Historiæ reputabantur) olim, si ita loqui liceat, fuere Cincidarij, & soli vivâ voce instructores; & qui teste vel *Cæsare*, magnum numerum versuum ediscebant, immo edocebant & auditoribus identidem inculcabant. Druidum itidem in Genealogijs & Historijs Patrijs successores (memoriæ illi magistri) *Seneciones* & *Bardi*, ijsdem insistentes vestigijs, quot de personis dignioribus & gestis carmina memorialia, mirâ & concinnâ brevitate, patrio in idiomate contexta, perjucunde cantitabant. Quin & hæc Bardorum consuetudo, apud nostrates Ma*kclodium*, Ma*kclenanum*, Ma*kcantotium*, & in illustriorum *Hibernensium* familijs passim, etiamnum & usque viget: etenim.

Fidum

Filum Annalium genus sunt pervetusta carmina.

NEC hæc in talibus docendi methodus sic leviter rejicienda erat *Floido*, priusquam Præsul ille *Cambrus* docuisset, quibus artibus Mysteria *Adæ* a *DEO* tradita, ab illo, ad *Noachum*, & ab hoc ad *Moysen*, præter ipsam informatricem *Traditionem* perdiscebantur, & integrerime (quasi de manu in manum) sæcula supra viginti transmittebantur. Sacro etiam in Codice præcipitur *Deutero.* Cap. 11. v. 19. Præterea docebis ea filiis vestris *Loquendo* de iis, cum sedes Domi tuæ, & cum incedis per viam, & cum jaces, & cum surgis. Necnon in Psalterio legitur *Psal*: 78. *vers.* 3, 4, 6. Quæ audivimus ac novimus, ut majores nostri narraverunt nobis, non celabimus filios eorum; generationem posteram; ut sciant generatio postera filij nasscituri, surgentesque enarrent filiis suis. Has igitur in legibus *DEI* ediscendis regulas, sæpe sæpius a Spiritu sancto selecto ipsius Populo commendatas, quisnam Gentibus in sacro-civilibus suis edocendis jurè vitio vertet. Nec turgide hic super falsa sua Hypothesi triumphum canet *Floidus*; nunquam enim nostri *Britonum* de *Bruto* improbant historiam, quia Traditioni innixam, sed quia (propter argumenta dilucida nimis & nervosa, Luculenter nostris a Scriptoribus dilucidata) plane figmentitiam, & supra ingenuorum fidem admirabilem: cum tale nil in *Fergusio* nostro *Primo* hactenus inveniri poterit; quem modeste *Buchananus*, *ex Constanti Fama*, *plurimis indiciis confirmata, ad cognatam Gentem auxiliandam, de propinqua tantum Hibernia adsciscit.*

2. Qui (secundum antiquiora Scotichronica contra

Neo-

Neotericos) *Scotorum Regem se constituit*, ac ad componendas *Hibernensium* dissidias reversus, indeque *Scotiam* repetens, haud procul a portu, cui nomen postea impositum *Caricfergus* (*Caric* enim, nunc vulgariter *Craig*, Hibernicè rupes est seu scopulus) cujus corpus exanime, ut autumant quidam a mari in Scotiam ad Castellum suum de *Dunstaffnage* delatum, ibique inhumatum. Quod si verum, spe potius possessionis retinendæ quam resurrections attinendæ factum crederem, utcunque est, pro certo tamen habetur quod locus ille munitissimus in *Lorna* (ægre ea in tempestate dicerem *Arx* seu *Castellum*, si intelligendum est constructum & fabrefactum) cui nomen *Dunstouaghnish* (corrupte *Dunstafnage*) *Fergusio* erat inter munitiones (quales ea ferebant tempora) si non prima, primaria. Sed & *Dun-stouagh-nish*, ut a quodam Hibernicæ Linguæ haud ignaro accepi, significat locum seu isthmum rotundum præruptum & editum in promontorio ad mare rapidum & æstuosum, qualis & extat *Dunstafnage*, sive fluctus allabentes, sive rupis faciem pæne inaccessam intueberis. Hic etiam Scotorum Reges ut ex Saxis colligitur Sepulchralibus, plus minus novem intumulantur (Accolæ plures numerant) Idque ante *Jonam Columbæ* nuncupatam. Arci etiam rupi huic impositæ, ex petulanti sarcasmate a *Pictis* inditum nomen *Berigonium*. Cæso enim *Eugenio primo* a *Romanis* sub *Maximo*, & *Scotica Gente* universa (ut tradunt Historiæ) Patriâ pulsa; confœderati *Picti*, quibus totum *Scotorum* agrum *Legatus* ille concesserat, cum ad regiam hanc (tum temporis) Arcem devenissent; superbiente quadam ironiâ (quasi de *Scotis* pro perpetuo conclamatum esset) nasute rogitabant *Wa Rie-gang*; *ubinam est seu quonam abivit Rex*. Germanico W. (quod familiare est) in B. commutato, & vocabulo Latinitate donato, inde *Berigonium*, sed *Scotis* Patriam recuperantibus, &ex-

& exilij hujus ſtigmata delere ſtudentibus, Monachi in memoriam Regum hic ſepultorum eccleſiam ſeu capellam ædificandam curarunt, quæ *Fgglish-ni-riche* (Eccleſiæ ſeu Capella Regum) hodiernum audit in diem, Caſtello etiam nomen inſcribunt *Stephanodunum*, ſive in alluſione *Sancti Stephani* Protomartyris cui capellam dedicarunt (cum primus noſter *Rex* quodam modo maris Martyr fuerat) ſive a ſola nominis notatione inter *Dunſtafnage* & *Stephanodunum* (qui loquelæ lepos *Religioſis*, iis in ævis non alienus, ut in Hebraico *Jona* a Latina *Columba* colligere eſt) nihil l *i*c moror: Cum ex his vel cæcutienti apparet, Portum illum in *Ultonia Craigfergus* nomen traxiſſe a ſubmerſo quodam *Ferguſio* Scotorum *Rege*: Quis unquam autem ſomniarat *Ferguſium Secundum* fluctibus obrutum, qui commiſſo contra *Maximinianum* acri prælio, una cum *Durſto Pictorum Rege*, terra cecidit in firma. Cum ergo nulla ſunt veræ antiquitatis apud omnes teſtimonia, teſtatiora quam nomina a proximis & inimicis impoſita, cur exultantem *Cambrum* vereamur nullus video. Quid enim alliciebat *Hiberneuſes* celebrem hunc ſuum Portum, *Scotorum Regis* memoriæ, aquis extincti, ſuper auras hucuſque dicare: & quem in *Alemanico* ſuo *Wari-gang* quæritabant *Picti Regem*, niſi *Scotum*? habentes igitur, e regione *Hibernenſes* ex unâ, *Pictos* & hoſtes ex alterâ, conteſtibus ſuffragiis illuſtrantes, *Scotis* fuiſſe *Reges* ante *Ferguſium*. II. Cur non ex horum duorum ore ſecundum veritatis regulam, ſententia hæc ſic conteſtata erit ſtabilis. Et flocci eſt quod hîc ogganniat Momus; Arx quam pono *Evonium* erat in *Lochabria*. Quid ſi lubens (nec refragor) concedam præfatum meum *Dunſtonagh-niſh*; *Berigonium*, *Stephanodunum*, aliquando & *Evonium* appellitatum fuiſſe. Diverſa enim nomina cauſis ex diverſis uni eidemque loco indita, ipſiſſima etiam & nomina loca diverſa ſortiri quis quæſo ignorare fatebitur. Quid igi-

igitur impedit munimentum illud in *Lorna Fergusio* a natura & situ *Dun-stouagch-nish*, *Pictis* (occasione qua supra) *Berigonium*, Monachis ex superstitione *Stephanodunum*, & ab *Eveno* quodam, ob arcem ibi, sive ædificatam, sive reparatam, *Evonium* subinde designari. Nec sunt hæc obstacula *Eveno*, eidem seu alteri, aliud condere castellum in *Lochabria*, nomenque ad libitum imponere, vel a fundatore *Evonium*, vel alias *Dunstaffnage*. Quod autem hodie nomen retinet in *Lorna* est. Nec indigitavit nobis aliquis *Egglis-ni-righe*, *Regiis* cum Sepulchretis in *Lochabria*. Sed ubicunque collocabunt *Evonium Eveno* inscriptum, arcem ibidem *Scotis* construent sæculis ante *Fergusium secundum*. Et *Asaphensis* cum venia, *Evenus* noster *Secundus* oppida ante *Christum* natum condidit, *Enverlochieam* cum *Envernessa* antiquâ, quorum rudera (ut authores a *Boetio* citatos taceam) si non adhuc conspicienda apparent, certa tamen vestigia effodienda, vicinis monstrari in promptu est.

Inter & hæc scribenda, ab *Alexandro Campbel* Præfecto seu Capitaneo (ut loquimur) de *Dunstaffnage* hæreditario, accepi. Quod domi conservat *Regis* cujusdam Figuram, bolo eburno affabre insculptam. Cœlatura, ut aiunt, imaginem refert *Eveni*, castelli structoris; eoque nomine, quasi Arcis quoddam Palladium, omnem supra memoriam, a Præfecto ad Præfectum traditur Jcon. Tantique ab *Alexandri* hujus avo æstimabatur, ut quando *Cromwelliani*, nuperis in motibus, *Dunstaffnage* (maximo suo cum damno) primum occuparunt, filium indignabunde de Ebore interpellans, qui cum sartum tectum, Anglis & secure clandestinum, retulerat: Agedum subjungit vetulus, valeant mi Fili cætera, Rupemque possideant paulisper perduelles isti, nobis, *Eveno* salvo eboreo, reversuram. Simulachrum hoc si vivo *Eveno* cælatum: Pervenerandæ mehercule (quippe ante *Christum*) est anti-

 quitatis

quitatis monimentum. Quin & ſtatuas illo in ſæculo in quo collocamus *Evenos*, apud noſtrates haud fuiſſe infrequentes, ex *Ioanne Campobello*, *Veremundo* & *Cornelio Hibernico*, ſub finem libri ſecundi teſtatur *Boethius*. Sin autem mihi vellet aliquis objiciens, *Berigonij*, quam hic ex *Wa-ri-gang* deducere affecto, ipſe in *Evenis*, & altius, meminit *Boethius* : Omnia equidem facile concederem, modo ab *Aſaphenſi* ejuſve diſcipulo objecta intelligerem ; ſi enim *Berigonium* illis in temporibus concedatur, ergo ante *Ferguſium*, *Floido Primum*, Nobis *ſecundum*. Cum autem res ipſas argumenta adduco, nominum de origine non contumax incedam conſectaneus. Sed hoc de nodo quid ſentiam, exponam. Sicut igitur antiquitus *Scoti*, ut plerumque ſub dio noctitabant, ita in aperto, de colle, jus dicebant & conſilia tractabant, hujus *Mons-Placiti*, *Mote-hill* apud Sconam; illius, loca adjectâ ſyllabâ *Law*, *Dundi-law*, *Dunpendir-law*, *Dunſ-law*, *North-berwick-law*, conſpicua ſatis extant documenta. Poſtquam ergo ſedem ſibi eligeret *Ferguſius Dounſtouaghniſch*, aliud *Doun* in proſpectu, Juridicundo dicavit, ubi poſtea urbs conditur, quæ varia ſortita erat nomina, *Bal-ewn*, ab *Eveno* (ſed alio quam arcis conditore, qui reputatur *primus*) nec non *Dounmacſneich*, ab eodem *Eveno* Patronymice deſignato ab *Edero* patre, cognomento S*neich*, ex latebris illis paludoſis, in quibus cum nutrice ad evitandam *Gilli* ſævitiam puellulus deliteſceret. S*neich* aquæ guttula ſubito & ex improviſo diſtillans, qualiter e ſpecu proſiliit *Ederus*. Cum ergo Regia fuerat *Dounſtouaghniſh*, nec multis aberat ſtadiis *Dunmacſneich*, Proceribus, aliiſque aulam frequentantibus (formata tum apud nos Architecturâ) recipiendis accomodata; & cum Primores R*egem* hîc ſæpiuſcule conveniſſe legimus, *Metropolin* hanc (ſaltem ut ea ferebant tempora *Urbem* R*egalem*) conſtituere nefas? Ideoque idem cum arce (cauſâ qua ſupra) perpeſſam Sarcaſma *Wari-*

ri-gang. Et cum *Ewn* (qui *Evenus* eſt) priſci *Scoti* efferunt per ſonum vocalis *o*; Et *Ball* ſonat apud illos *Villam*, ſeu *Urbem*, quam facile *Bal-ewn*, Monachis interpretibus labitur in *Balevonium*, *Baleonium*, quod ipſis ſic volentibus, in Picticum degenerat *Berigonium*, dicat velim Lector ingenioſus. Certe accolæ *Berigonium*, ut Hibernicæ Linguæ penitus peregrinum repudiant, ſuis contenti *Bal-ewn*, & *Doun-macſneich*; quod poſterius ad diſtinguendos *Evenos* magis retinetur. Sed *Berigonio* Monachorum auriculis, Latinius (ut dixi) tinniente, vocabulum nunc pro arce, nunc pro urbe, jam vel pro ipſorum ſede, ante utrumque conditum, nullo habito ad Synchroniſmata reſpectu, indiſcriminatim & ad libitum Fraterculi proh nimis oſcitantes uſurpabant. Quorum tamen hac in re incuriæ Hiſtorici quidam noſtri recentiores nimium fuere ſequaces. Sed ut inter perantiquæ civitatis hujus rudera, non pauci inveniuntur pumices, ſemel atque iterum a dicto *Alexandro* probati; ſic ex *Evenorum* jam dictis ſtructuris eruitur Nobis (ni fallor) argumentum cuniculis *Aſaphenſibus* non ſubruendum.

3. Cum omnis ex peccato ſervitus, a lapſo *primo* ad agnitum *Adamum ſecundum*, omnis caro ſuo plus minus *Domino* ſerviebat, idque ſecundum *Nimrodorum* illorum placita, tam corpore quam bonis; Maribus utebantur militia in armata, Fœmellas ad militiam magis inermem eligebant. Quæ Dynaſtarum Dominationis teſſeræ (in poteſtate vitæ & necis fundatæ) Principum ex moribus, modo incrementum, modo decrementum recipiebant. Hanc fœminarum ſervitutem Gentes orientales humaniores, paulatim a vaga Venere in pompam potius convertebant: ut in *Ahaſuero*, & in *Solomone*; quidni dicam & in *Turcarum Seraglio*, rimari haud difficile eſt. Nec & hoc deſpotici jugi inſigne ab occidentalibus humani generis propagatoribus repudiatum. *Samuele* enim Lib. 1. cap. 8. Regem

 ad

ad exemplar *Gentium* describente, versu 17. Epiphonemate quodam concludit, *Denique vos eritis ei servi*; seu ut quibusdam placet *in servis* (plurali *Gnobedim*, quicquid vile aut servile erat indicante) ubi Hebraicum redditur a LXX. δῦλοι, qui Græcis & σωματα vocabantur, a potestate corporibus eorum in servitiis, sive utendi, sive abutendi, non disputo. Consulat de causa curiosus *Majoragium* Lib. 1. cap. 12. Sed hæc tantum obiter, ut obscænam hanc consuetudinem nemo penitioris indaginis solis *Scotis* obtrudat, cum eadem, omissis aliis, vel in finitimo *Belgio* indagari poterit. Nec & hæc, quod *Eveni* nostri *tertij* Sanctionem in aliquo excusarem, qui addictissimus *Veneris* verna, impuri istius & illiciti servitij usucapionem ampliaret, & edicto publico stabilire ostentaret, cum interim quid aliud est impudicum illud Statutum, nisi sententia (sed laxa nimis) ethnici istius in mulierculas dominij declaratoria. Sed ut rem paucis finiam, apparet *Evenum* hunc nostrum fuisse R*egem*, & ante amplexum Christianismum regnavisse. Quis enim Regali in administratione leges fert nisi Rex? & quis Christicolarum tam flagitiosam unquam tulisset. Quâ, cuivis liceret pro opibus quot alere posset uxores ducere: Quâ, R*ex* ante nuptias sponsarum nobilium, nobiles plebeiarum prælibarent pudicitiam: & quâ, plebeiorum uxores cum Nobilitate communes essent. Cum ergo talem legem aliquando apud *Scotos* latam nemo *Anglus* denegaret (& cujus adhuc in Chartulis nostris clara, licet fœda, habemus vestigia, in Clausula illa, *cum merchetis mulierum*) quis hanc legem (utcunque spurcam) precor, sciscerent, nisi qui regia præditus erat authoritate, cum Regem, Nobiles, tangit & Plebeios; adeoque per totum regnum sic diffusa, ut plurima per secula (licet indies in praxi derelicta) non abrogaretur, & nec sic tandem sine commutatione pecuniariâ. Tam tenax est humana natura cujusvis Dominij semel

mel occupati, ut ipsius (quantumvis dehonesti) memoriam, quovis notaculo retinere, quam penitus abolere mallet. Cum ergo legem dictam inficiari non possumus, det nobis *Floidus*, hunc *Evenum* ante Christianismum (saltem a nostris acceptum) aut alium post *Fergusium* a *Sancto Patricio* (ex seipso) benedictum, inveniat nobis hac in re legislatorem.

4. *Claudianus Honorium* ex gestis Avi ad virtutem instimulans, *Scotos* subinde commemorat; quos *Hibernenses*, *Pictis* tantum ex *Hibernia* auxiliares, vult *Asaphensis*; nos *Albinenses* in *Britannia* contendimus. Sed ipsum ante omnia audiamus Poetam. 3. Cons. Honorij.

Quoque magis animum pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui memorabat avi, quem littus adustæ
Horrescit *Lybiæ*, ratibusque impervia *Thule*.
Ille leves *Mauros*, nec falso nomine *Pictos*
Edomuit, *Scotumque* vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas.

Et 4. Cons. ejusdem *Honorij*, ac de eodem *Theodosio*.

Ille *Caledoniis* posuit qui castra pruinis,
Qui medio *Lybiæ* sub casside pertulit æstus,
Terribilis *Mauro*, debellatorque *Britanni*
Littoris, ac pariter *Boreæ* vastator & *Austri*.
Quid rigor æternus cœli, quid frigora prosunt,
Ignotumque fretum? maduerunt *Saxone* fuso
Orcades. Incaluit *Pictorum* sanguine *Thule*
Scotorum cumulos flevit glacialis *Jerne*.

Et in 2. Lib. de Laudib. *Stilic*. Romanam Provinciam, sub nomine *Britanniæ*, sic alloquentem introducit.

Me quoque *vicinis* pereuntem *gentibus* inquit
Munivit *Stilico*, totam cum *Scotus Jernen*
Movit & infesto spumavit remige *Tethys*.

Il-

Illius effectum curis ne *Bella* timerem
Scotica, ne *Pictum* tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum *Saxona* ventis.

Et in Bello Getico

Venit & extremis Legio prætenta *Britannis*
Quæ *Scoto* dat fræna truci, ferroque notatas
Perlegit exangues *Picto* moriente figuras.]

Vocabulis innitens *Jerne*, *Tethys*, *Vagum*, audacter satis concludit *Floidus*, hos apud *Claudianum Scotos*, fuisse (ut dixi) *Hibernenses*, sed quam perperam videamus; Quid ergo si negabimus *Claudiani Jernen*, significare Insulam *Hiberniæ*, sed potius regionem *Pictorum*, vernacule *Stratherne*. Sane vallis hæc a perfluente rivulo *Earne*, Latine scribitur *Jerne*, *Jernia*, *Jerna*, & in hac præfectura est (*Pictorum* quondam Metropolis) *Abirnethie*, ad ostium amnis *Jerni*. Cum igitur Trophæum a debellatis *Pictis* procinebat Poeta, *Jernen* ponit pro regno *Pictorum*, sociorum *Scotorum* funera deflentem: cui etiam sententiæ castrorum in *Jernia* indicia astipulari videntur. Extant enim hoc in tractu *Jerna*, non procul ab *Ardoch* & *Panhols* stativorum vestigia, aggeribus scite vallata; Opus ipso intuito sine interpretibus accolis dixeris Romanum. Inter lapides hinc effossos non ita pridem eruebantur aliquot titulis mere Romanis insigniti, qui adhuc apud Comitem Perthensem in Arce sua *Drummonio*, perpaucis miliaribus distanti, visendi servantur. Hic nonnunquam & numismata reperiuntur Imperatoribus Romanis inscripta. Quin & inter has fossas & vicinorum montium radices locum designant rustici, in quo prælium cruentissimum inter *Pictos*, *Scotos* & *Romanos* commissum fuisse perseveranter tradunt. Quid? habemusne hic *Claudianum* castra *Theodosio* in ipsis *Caledoniis pruinis* metantem? Viden' etiam quam consociatum *Pruinis* stat amicum epitheton *Glaciale*, hoc a Poeta

ta

ta Montibus accommodatum , Lib. 1. de Laud. *Stilic.*

Promptius imponam *Glaciali* Pelion Ossæ:

Cum ergo mons Thessalicus denominatur ab eo *Glacialis*, cur non & ejus *Glacialem Jernen* quæramus in montibus *Britannicis*, castris & prælio propinquioribus (ut *Picti* sua in ditione, & quasi e conspectu, Socialium *Scotorum* cumulata cadavera flebilius complorarent) potius quam *Audacioribus Theodosij remis* tentare *Ignotum Claudiano fretum*, ad quæritandum *Glaciale*, nescio quid in Insula perraro gelu rigente. Et quam *Totam* contra *Romanos* (sibi nihil molientes) nunquam potis erat Scotia tota *movere*; cum ei in expedito fuerat totum *Pictorum* regnum (gentem vicinam & communis periculi participem) Romanis Aquilis deplumandis proritare, & *infestis remigibus* confœderatis suis *Pictis* (solo freto sejunctis) ad libitum succurrere, opitulari. Porro quod *Hiberniam* non intellexisset per *Jernen Claudianus*, ex ipso facit *Claudiano*, quod illi *Thule* erat impervia Ratibus.

Ratibusque impervia *Thule*

Adeoque Romanis, quæ ex littore Armorico & Belgico trajiciebant in *Britanniam*, vix (ea in navigationis infantiâ) bene cognita *Hibernia*, quæ pone *Britanniam* jacet ad Occasum. Et quodnam quæso illud *Fretum*, post *æterni rigoris Cœli* & *frigorum* mentionem, *Claudiano ignotum*, nisi mare a tergo *Thules*, ultra *Littus Britannum*? Quod Limitem ponit a Septentrione, ut *Africam* a Meridie.

Terribilis *Mauro*, debellatorque *Britanni*
Littoris, ac pariter *Boreæ* vastator & *Austri*

Nec multum velim confidat aliquis vocabulo *Tethys*, cum sæpius pro fretis & fluminum ostiis, quam pro mari vel oceano usurpatur, & hæc *Tethys* solis utitur *Remigibus*, cum *Ventos* (& proinde vela) concedit Poeta *Saxonibus*.

Venturum Saxona ventis.

Et cum Mare inter *Continentem* & *Britanniam* dignetur nomine *Oceani* de Bel. Get. A *Gadibus* usque *Britannum*

Terruit *Oceanum*

Audebatne igitur *Hyperboreis* his undis, ubi *sequebatur Theodosius Scotos* vela concredere *Claudianus*, nec Romanos semper, *Remis* transfretandos committere. Sed & ne dicat aliquis hic *Oceanus Britannus* potest comprehendere Mare inter *Britanniam* & *Hiberniam*, addit Poeta.

---Et nostro procul axe remotam
insolito belli tremefecit murmure *Thulen.*

Usque ponens ultimam illam & ratibus imperviam *Thulen*, Romanis ad Boream extimum. Et cum apud *Melam* est fluvius in Hispania nomine *Jerna*, & mons ibidem *Jerna* secundum *Strabonem*; an *Pictorum* sedem (sive ab amne, sive a monte, sive a lacu) sub nomine *Jernæ* *Claudiano* innotuisse incredibile est? Sed detur *Floido*, *Claudiani Jernen* esse insulam *Hiberniæ*; Qui sequitur, ergo *Scoti* cum *Pictis* contra *Theodosium* & *Stiliconem* commilitantes, non fuere Gens in *Britannia*? Ipsa certe gloriatur *Britannia* se a *vicinis gentibus* munitam: Habebant ergo Provinciales, Hostes, eosque *Gentes*, & *Gentes vicinas*. Fuere quidem *Picti* vicini, sed non fuere soli vicini; Imo bifidi *Dicaledones* & *Vecturiones*, vexatæ *Britanniæ*, nisi una Gens fuere: Fuit ei terror & alia *Gens vicina*, cujus bella (& ante ipsum *Pictum*) timebat.

Ne bella timerem
Scotica, ne *Pictum* tremerem.

Habemus hic tres Romanæ ~~coloniæ~~ Provinciæ exagitatores; Piraticum *Saxona*, quem littoribus arcebat: & conterraneos, vicinum *Pictum* ab unâ, quem ut gentem subdolam magis & insidiosam *Tremebat*; Et vicinum *Scotum* ab altera, quem ut gentem ferocem magis & bellicosam *timebat*. Procul dubio, si *Scotum* judicasset *Claudianus* H

Hibernensem, ipsius cum de *Saxone* loquebatur, meminisset; quas enim gratias debebat *Stiliconi Britannia* in prohibendo *Saxona* a Littore orientali, si non & *Scotum* prohibuisset a Littore occidentali, immo, sicuti *Saxona*, a *Littore toto*, sin mavis cum quibusdam legere *Tuto*, quæ tutela littoris, *Scotis* vel *Remis* indies applicandi? sed plus profecto formidabant Romani *Scotorum* in vallum *Severi* ascensus, quam in littus *Britannum* descensus; ideoque Romani per sæculum ante *Theodosium*, vallum ad arcendos *Scotos Prætenturis* firmatum construxerunt; quibus *Prætenturis* alludit *Claudianus*,

Venit & extremis Legio *Prætenta Britannis*
Quæ *Scoto* dat fræna truci - - - -

Quis sanæ mentis dixerit, *Severi* in *Britannia* vallum (inter *Forthan* & *Glottam* situm) incursionibus *Hibernensium* prætentum: cum hic *Scotus* ipso præponitur *Picto*, subdens Poeta

ferroque notatas
Perlegit exangues *Picto* moriente figuras.

Et quantilli est quod de vocula blaterant *Vago*, per me legatur scilicet *Vago* vel *Vagum*, *Floidi* ex arbitrio; & in sensu, si placet, maxime maligno; quid enim si *Claudianus Scoto*, ex edicto *Maximi* extorri, addiderat *Vagum*; (scripsit quippe *Claudianus* post *Maximum*) ergone *Scoti* nunquam fuere *Gens* in *Britannia*, Provincialibus Romanis *vicinâ*? Et quid quæso calumniæ, si perspectis *Glottæ* æstuario, cum lacubus *Argathelianis* (Plus minus, ut *Hebrides* sileam septem) nisi per cymbas minime trajiciendis, *Scotus* diceretur, a *Theodosij* Mucrone *Vagus*, cujus vestigia Hyperboreis illis in undis non facile apparebant investiganda? Ergone profecto *Scoti* ex Hibernia errones tantummodo desultorij? Apage nugas Clero indignas, Præsuli cordato calcandas! Nec *Claudiani* hæc carmina, periodos, aut verba, arguti dicat aliquis Poetæ

 nisi

nisi fucos & figmenta; cum non solum judice *Scaligero*, *judicium* erat ei *temperatum*, *dictio candida*: Sed & longe ante *Scaligeros* in vetusto marmore, Statuæ *Claudiani* Romæ supposito, Legebatur *CL. Claudiano V. C. Tribuno & Notario, inter cæteras vigentes artes præglorioſiſſimo Poetarum, licet ad memoriam ſempiternam carmina ab eodem ſcripta ſufficiant, adtamen teſtimonij gratia*, Ob judicij sui fidem, DD. NN. *Arcadius & Honorius feliciſſimi ac doctiſſimi Imperatores, Senatu petente, Statuam in foro Divi Trajani erigi collocarique juſſerunt.* Ac proinde *Claudianus* non minus Historicis quam Poetis apud probatos Authores adscriptus claret. Cum igitur ex illo (suffragante etiam *Ammiano Marcellino*) *trux hic Scotus*, *Gens* sine diremptione æquoris (teste vel *Beda*) provincialibus *Vicina*, *Bella* Romanis (& bella metuenda, non incursiones leves) movebat; relegat tantum benevolus Lector *Claudiani* versiculos, & dicat ingenue, num *Scoti gens* fuere in *Britannia* ante æram nobis a *Floido* constitutam, annum a natalibus *Domini* videlicet 503, & si *Gentem, in Britannia* approbaverit, eamque regimini Regio dicaverit (aliud enim assignare quis potis est) optarem ut tacite secum revolvat, quam cordicitus Regis sui stemmati se jactat, & quam candide Præsul hic *Cambrus* se probat amicum. Sed hæc pro Regibus nostris priscis impræsentiarum tantum.

5. Ad alterum vero (super Quæstione feliciter nunc forsan apud *Britannos* sopita, nec temere in Ecclesia, crediderim, resuscitandâ) *Aſaphenſis* thema enucleandum, De Christianitate primum a *Scotis* amplexâ, & antiquo nostræ regimine Ecclesiæ, inter alia adminicula, *Norimbergæ* Libraria (bona cum venia) exploranda suggero; ibi enim reponuntur Codices & Manuscripta, de Monasterijs a nostratibus fundatis & instructis, quæ plurimum nobis lucis tam in sacris quam civilibus adferent, si ad manus de-

ve-

venerint. Novi ingenuum & ingeniosum *Christopherum Irvinum*, Medicum, talibus in scrutandis & arcessendis (dum opus & se & Patriâ dignum molitur) Labore & crumena, proprijs minime defuturum; Sed quod privatæ est industriæ, privatis merito parietibus ad libitum domini consepiendum est: & e contra, quod publici est momenti, sumptibus publicis communicandum videtur.

6. Nec pauca extant *Scotorum* in favorem contra *Hibernenses* prolata a *Papis* Decreta seu Bullæ; quæ si non *Norimbergæ*, *Romæ*, nil dubito, cum multis *Scoticis* haud spernendæ fidei Originibus (modo præfato) perfacile invenienda sunt.

7. *Cornelius* Tacitus, Bochartus, Franciscus del Campo, Hispanus; & alij *Silures* agnoscunt Origine *Iberos*.

8. Tota Cambria Meridionalis (quæ *Deheubarth*) *Silurum* sedes erat.

9. *Gael* tam *Albinich* quam *Irenach*, ex Gallicia in Hispania, quæ & *Iberia* est.

10. *Floidi*, *Lloidi*, seu *Luddi*, ab Haraldis; *Guillimo*, in Glocestriæ; *Morgano*, Herefordiæ Comitatu collocantur: Illius vero pars Occidentalis trans Sabrinam, Hic totus (secundum *Cambdenum*) *Siluribus* assignabatur.

11. *Asaphensis* Episcopus, Anglorum Episcoporum omnium primus, qui (gratitudinis ergo) Sedis suæ Insignia, Claves scilicet duas argenteas, decussatim (more *Scoticano*) trajecerat.

12. Vide *Cambdenum* sua in *Britannia*. Fol. 548. Circa annum enim (inquit ille) reparatæ Salutis 560. *Kentigernus* (qui idem & *Mungo* est) *Episcopus Glasguensis*, e *Scotia* profugus, Episcopalem Sedem, Cœnobiumque hîc constituit, Congregatis 663. Fratribus, quorum 300.

illiterati agriculturæ, totidem alij operibus intra Monasterium exercendis, reliqui divinis rebus peragendis vacarent, quos ita per conventus distribuit, ut jugiter aliqui in Templo *DEO* inservirent, cum autem in *Scotiam* rediret, *Asaphum* virum integerrimum huic Cœnobio præfecit, a quo hodiernum nomen impositum, *&c.*

13. Mutua perpende utriusque Regni Statuta, Imperante *Jacobo*, Monarchâ Britanniarum primo, ac S. D. N. *Regis* Avo.

14. Libelluli memineris (si libet) cui titulus, *Fragmenta Humphredi Luddi*, Authoris hujus (ut fertur) Propatrui; Qui, in *Scotos* asperior; Argumenti ventilator primus (quod sciam) exstiterat

---

Amicissimo suo, & plurimum colendo, Amico, *D. Roberto Sibbald* a *Kipps*, Equiti Aurato, Medico, Regio, Regali Authoritate Geographo Patrio,

FLOIDUM,

Asaphensem Episcopum,

Justo Volumine Latino, Convellere aspiranti.

J. *C.*

S.



EST Medici (*Sibbalde* tenes) dare pharmacon ægris;
Ut sit quà poterit restituenda salus.
Principis est famuli, spernaces spernere Regum;
Quos meritæ inscribit noxa pianda neci. *Stat. Jac.*
Regius es medicus, te munere cingito duplo: *Sexti Pri.*

Quin

Quin opus eſt, quod habes (credito) quicquid opis
Hic capito Antiſtes, devictus an exuet arma?
Erroris monitum pænituiſſe putes? *Raro vidimus Clerum pænitentem.*
Quis furor hic *Cambri*, qualis dementia; *Reges*
Sic *Scotos*, *Scoto* temnere, *Rege* ſuo?
H·lleborum miſces, & quot petit *Acria Bilis*:
Dic *Domino*, in *Dominum* quanta venena vomit.
Sævior hic Præſul, *Proteſtans*, *ADONIBEZEC*
(Pollice qui mutilis Regibus oſſa dedit)
Quot Reges totos (calcato Stemmate *Carli*
Amputat *Albinis*! jurgia nemo movens.
Ut Mitrâ tutum centupli criminis Author,
A nece ſe jactet; ſtringito, cæde tamen.
Obtrectatorem ſic plectito, plecte Cientem;
Gannitu, ut *Luddi* contremat omne latus.
Peccatum at *Cleri* eſt! merito ſit Lenior irâ:
Intactâ Mitrâ, tangito & ange Virum.
Succedet *Floidus*, te procurante, *Columbæ*
(Præſule Mitratus nec minor Abbas erat)
Aſaphideſque Pius, Sanctam mittatur *Jonam*;
Regum ut tot Manes, Suſpiciant *HOMINEM*!
Mittatur, quin imo Lubens eremiget undas:
1. Inſula ſors fuerit, quæ ſuit ante *Ratis*.
Plurima *Patricio* tribuit Miracla Vetuſtas;
Unum vel *Floido* ſæcula ſera negent?
Sive pedes veniet, Liquidum ſeu naviget Æquor;
Hoſpitibus feſſis parca diæta ſalus.
Ergo cave blandi cyathiſſet dona Lyæi;
Ulla pitiſſabit vina Falerna cave.
Arent cum fauces, uvas ne guſtet Iberas;
Lacte vel, aut ipſo fonte levanda ſitis.
At Zythi, Languet ne in Feſtis forte perorans,
Alembicati, guttula trina ſatis:
Nec ſint in Quadra tenui Farcimina Lauta;

Ne-

Neve Minutal erit, neve Botellus erit.
Pauca Moreta dabis, Silicernia ponito; Cæpe
Sæpius immiscens, Nicotiana sapit.
His epulis Adipem multos differet in annos,
Præsulis & Munus promptius inde colat.
Ne Socio vacuas, noctes suspiret hibernas,
Est comes addendus; quo sine, Vita, Malum.
Hunc *Adamnanus* mutuabit & ipse; *Columbæ*,
2. *Usseri Simiæ*, sat comes aptus *Equus*. 3.
Non hunc Bucephalus, Pegasus, Pyroisve vel Æthon
Æquat; non Persæ qui Diadema dedit.
Sellio, Jumentum, Trepidarius, atque Veredus,
Asturco, Tortor, Musimon ille fuit.
Quot Monachis Mannus fuerat meritorius ille,
Qui Dominum toties, heu! Lachrymabat Equus.
Abbate defuncto, *Corynoch* dedit. *Ochon*, *Ochoni!*
(Quadrupedi parcas verba Latina satis)
Forsan erat Proavus *Balaam* natus equili:
Consortem in Lacrymis quis vetat ore loqui.
Mannulus at, diro jamdudum angore sepulto,
Ludicra quotque jocos hinniet atque Sales.
De *Ferqhuardiade*, ac *Evenis*, deque *Donaldo*,
Musset evax! Socio verbula digna legi.
Quot Fratrum lusus, quot amores (crede) Sororum,
Mutiet arridens; verba tacenda puto.
Authore hoc, retrahat *Cambrus*, proh! futile dogma;
Injustæ maculæ tædia justa gemens.
Et discat Præsul mandato munere fungi
Nec Regnum & Reges rodere dente truci.
Neve crepet *Causam, Sacram:* quasi causa *Tiaræ*
Tutari nequeat, ni *Diadema* cadat.
4. Dic *Ferquhardiadi* quid Presbyter, Insula *Maino*?
Corbredis Mitra & Pallia sacra nihil.
Sin simulet Zelum, cur non ferit impiger ipsum

5. Eu.

5. *Eutychium*, & rabiem *Memphytis* ora dolet.
Nec Litem intendat *Scotis*, de *Regibus* almis,
Aut priſcis *Cleris*; *Ille*, vel *Ille* ſuis. 6.
Author cum dubius fors alter, & alter iniquus:
7. Zelotes, mendax, forſan uterque nimis.
8. Exuat *Elweyn* Larvam, bilemque recludat;
9. Propatrui *Luddi* Manibus ille Litat.
Ergo Luat *Floidus* pœnas, *Antiſtite* ſalvo;
Aſt Clerus peccans verbera dupla petit.

NOTÆ.

1. USſer: de Pri: Eccle: Brit: Pa: 611. In illo vitæ Sti *Patricij* Fragmento ad *Jacobo Meyero* producto. Sic Lege. *Patricius* revertens e *Gallia* in *Britanniam*, inde tranſit in *Hiberniam* (id eſt *Scotiam*) in Regionem Lagenorum, inde petit aquilonares *Scotiæ* partes, hinc Orientalem Plagam *Hiberniæ* circumnavigans, *Navem convertit in aliam Parvam inſulam*, quæ hodie *Inſula Patricij* vocatur, *&c.* (concinnius forſan, *O Braſile*) Fabulam autem hanc cum conſimili de *Columbæ* Caballo ſubſcripta, haud gravatim hic profero, ut minus catus animadvertat Lector, quam nutantis & concuſſæ fidei authoribus (mendacibus ſcilicet mediorum ſæculorum Monachis, & ſibimetipſis parum conſtantibus, ut hic vel in *Scotiæ* & *Hiberniæ* vocabulo tralucet) radicatas noſtras antiquitates, non ſolum concuſſare ſe gloriatur *Floidus*, quinetiam jactanter eradicare ſuperbit.

2. *Floidus* hoc in themate, *Armachanæ* (ut ipſe ille loquitur *Primas* in præfat. de Prim. Eccl. *Brit. Promiſcue congeſtæ farraginis*, niſi merus, ſed malevolus, *Plagiarius*.

3. Fabellam apud *Adamnanum* (ſi modo mendaculus iſte Codicellus, ſæpiuſcule Nobis (cum ejuſdem farinæ aliis

aliis) a *Floido* obtrusus, Nostratis ipsius sit, quod magnopere addubito, *Adamnani*; cum potius Monachi videtur cujusdam Legendarij ejus a schedulis disscribere gestientis) In vita inquam, *Sti Columbæ*, Lib. 3. Cap. 16. §. 2. Hæc in Verba perlege. Post hæc *Sts.* (scilicet *Columba*) Horreum (*quod cum ministro suo Diormitio* §. *praced. benedixerat*) egreditur, & ad Monasterium revertens, media residet viâ, in quo loco Crux molari postea infixa lapide, hodieque stans, in margine cernitur viæ: Dumque ibidem *Sts*, ut præfatus sum, senio fessus paulum sedens requiesceret, Ecce Albus occurrit *Caballus*, obediens servitor, qui scilicet Lactaria intra bocetum monasterij vascula gestare consueverat. Hic ad Sanctum accedens (mirum dictu) caput in sinu ejus ponens, ut credo, inspirante Deo, cui omne animal brutum sapit, sensu quo ipse jusserat Creator, Dominum a se suum mox emigraturum, & ipsum ultra non visurum sciens, cæpit plangere, ubertinque quasi homo, lachrymas fundere, & valde spumans flere. Quod videns minister (*præfatus utpote Diormitius*) cæpit illum flebilem repellere Lamentatorem; Sed *Sanctus* prohibuit eum, dicens, sine hunc, si nostri næ amator est, ut in hunc sinum fletus effundat amarissimi plangoris: Ecce tu cum homo sis, & rationabilem animam habeas, nullo modo scire de meo exitu potuisti, nisi quod tibi ego Nuper ipse manifestavi. Huic vero bruto & irrationabili animanti quoquo modo ipse Conditor voluit, egressurum a se Dominum manifeste revelavit. Et hæc dicens, mœstum a se revertentem *Equum* Benedixit Administratorem &c. Risum teneatis amici!

Benevolum utcunque & emunctioris naris Lectorem commonitum velim, quod in hoc qualiquali *Adamnani* (sive veri, sivi personati) M S C°. in Bibliotheca *Cottoniana*, *Londini* asservato, ubique (quoties occurrit) scribitur *Scotia*, *Scotiæ*, *Scotiam*, *&c.* Sed qui codicem

in

in lucem ediderunt, *Scotis* iniquiores, ſupponunt *Hibernia*, *Hiberniæ*, *Hiberniam*, *&c.* Vel gratis in margine (nec ſine aſteriſco) ſubdunt, *Quæ Hibernia eſt*, *&c.* Quod peccatum; lubens etiam, ſed nequiùs (inſulato indignum candore) ipſe peccat *Elweyenſis.*

4. *Fergusius, Ferqhuardi* filius, *Scotorum Rex Primus*, & *Mainus Tertius*, cum duobus etiam *Corbredis*, ante *Christum* a Noſtratibus agnitum & acceptum claruerunt.

5. Cur non miſſis *Scotis* arma movet in *Eutychium*; circa ea quæ ſcribit ille Arabs, de Eccleſia ſua *Alexandrina* in *Ægypto*; vel Interprete Profeſſore *Oxonienſi*. Pag. 331. &c.

6. Hinc Epiſcopalis } ut { *Floidus.*
Illinc Preſbyterianus } ut { *Baxterus.*

7. Opinionis quiſque ſuæ apicibus, mordicùs & plus forſan æquo, inhiantibus, adhærentibus.

8. *Elweyus*, *Elweyenſis* (ab alluente rivulo *Elwy*, *ſeu Llan-Elwy*, idem cum *Aſaphenſi* Epiſcopo, *ab Aſapho.*

9. Noſtrate a Marone ſatis ſuperque flagellati.

Sed nec Lectorem lateat, quod ut *Buchanani* in *Luddum* argutiæ *Floidum* agitabant, ſic etiam *Dempſteri* in *Stanihurſtium* acrimonia, Nepotem ipſius *Uſſerum* (ſui hac in re diſſimilem) in amicos ſibi *Scotos* acuebat: cum ergo hæc ex Livore calumniæ, quis vetat ſubjungere.

Calumniator fure quovis tetrior.

D A P

APPENDIX,

In qua Compendiariò, ex concessis, Refutatur Floidus.

Verba *Mamertini* vel paucula volve, revolve;
Construe: Laureolam paucula verba dabunt.
Nec renuet Præsul quam Legem ponit. Adeste
Orbilij; Judex *Tyro* vel omnis ades.

MAmertinus, seu *Eumenius*, sive incertus (nostrâ parum interest cujus) in Panegyrico *Maximiano* dictq, de *Britannia* loquens; inter alias, hanc rotatam fundebat Phrasin. *Adhoc Natio & tum rudis, & soli Britanni Pictis modo & Hibernis assueta hostibus adhuc seminudis, facile Romanis armis & signis cesserunt.* In construendo hanc periodum, inter *Luddum* & *Buchananum* lis agitata est plusquam Grammatica: dum *Luddus* ponendo *Soli Britanni* casu in Nominativo, *Scotis* Antiquitatem decurtare gestiit; & *Buchananus*, Patriæ hac in re assertor acerrimus, in casu gignendi construit. *Luddum* sequitur cognatus suus *Floidus*, & eâ quidem opprobatione, ut *Buchananum* (Romani eloquij alterum parentem) insolita vaniloquentiâ, *Camdeno*, ob inscitiam in Latinitate construenda, vapulandum committit, *O Floide, Mi Floide*; adsit Orbis Literatus testis, utinam & Ju-

Judicem plagosum quendam haberemus *Orbilium.* Sed lente,

parce precor stimulis-------

Si *Buchanani* Constructio fuerat congrua, lubens manus dat *Asaphensis* (Pag. 11.) Præsulis laudo modestiam. Agite igitur, paucis experiamur. Panegyrista hac in parte Orationis suæ, Victoriam (ut capio) *Constantij* a Piratico *Carausio* reportatam, bello præfert *Cæsaris* contra *Cassibelaunum.* *Sed enim* (præfatus est Orator) *illa ætate* (tempore *Cæsaris*) *nec* Britannia *ullis erat ad navale bellum armata navigiis*, *& Romana res inde jam a Punicis Asiaticisque bellis etiam recenti exercitata piratico*, *& postea Mithridatico*, *non magis terrestri quam navali usu vigebat. Ad hoc Natio*, *&c.* Viden' igitur, Lector candide, hanc *Cassibellauni Nationem*, Oratori fuisse *Rudem*, ob artis bellicæ, præsertim navalis, imperitiam: Adeoque hostibus ante *Cæsaris* adventum, tantum indigenis, non exteris assuetam, quippe navigiis ad bellum navale ea ætate non armatam. Subnectens Panegyrista; *Prope ut hoc uno* Cæsar *Gloriari in illa expeditione debuerit*, *quod navigasset Oceanum.*

His itaque leviter prælibatis, magè cominus Grammaticali hac in Diatriba nunc dimicemus. *Si Britanni* voluisset Orator, *Nominativi casus Substantivi Nominis*, *& masculini generis*, fallor an pronunciasset *ET* inter *Natio Rudis* & *Soli Britanni*, cum sic parum Latine loquutus esset, quia *Britanni* sic idem esset cum *Natio*, & taliter per *Appositionem* ornatius proferenda forent verba, *Natio rudis Soli Britanni*, quibus subjungendum erat *Assueti* non *Assueta*, quam vero fluit sermonis lacertus & laudibus Imperatoris, & Oratoris scopo apprime consonus *Natio quam devicit* Cæsar *in Britannia* (*navigiis ad bellum navale non armatâ*) *& rudis erat*, *& assueta modo Pictis & Hibernis* Soli Britanni, *&c.* Et quæ in Panegyrista ele-

gantia

gantia, una & eadem pene in ſententia, & uno quaſi halitu oris, tam tautologice pro eodem repetere *Britannia Natio*, *Britanni*? quâ autem Romana conſtructione, quove Latinitatis Stylo inducti vellicant, aut *Luddus* aut *Floidus*, *hoc* Oratoris *Britanni* ad Caſum Nominativum, augurare ſane vix ego potero. Niſi ſimplici *Commate* vocabulo *Britanni*, quibuſdam in Impreſſionibus ſubdito, faſcinati; deliriis ſuis obnixe nimis immolare ſtudeant: Quin videantur *Pauli Stephani* aliæque melioris notæ Editiones, tali *Commate* carentes. Sed & quam debilis & puerilis eſt ad evertendum Regnum Machina, *Comma* vel a Typographo diſſolute, vel a Monacho malitioſe locatum. Certe ipſe hic Panegyriſta, *Britanni ſuum* in Genitivo intelligere videtur, vel hac unica ratione contendo. Sic enim perrorat. *Nihil ex omni terrarum cælique regione non aut metu quietum eſt, aut armis domitum, aut pietate devinctum. Et ex aliis quidem partibus aliqua reſtant, quæ ſi voluntas vel ratio deſiderent, poſſitis acquirere.* Ultra Oceanum vero quid erat præter Britanniam? *Quæ a Vobis ita recuperata eſt*, ut illæ quoque Nationes termini ejuſdem Inſulæ cohærentes veſtris nutibus obſequantur. *Nulla progrediendi cauſa ſupereſt niſi ſi (quod Natura vetuit) fines ipſius quærantur Oceani.* Agedum, conſtruat bonis avibus, & interpretetur ipſe *Floidus*; ne perpetui *Cambrorum* ſub ferulis Tyrones paveamus, Lugeamus, vapulemus. Dixerat in præcedentibus Orator *Hibernos* (licet ſeminudos) *Britannis* hoſtes, tempore *Cæſaris*, fuiſſe. His Patriam & ſedem aſſignat *Aſaphenſis* Hiberniam. Huic Panegyriſtæ *ultra Oceanum nihil erat præter Britannia*, *niſi fines ipſius quærantur Oceani.* Ubinam ergo gentium hiemabant hi Oratoris *Hiberni*; Si non SOLO in BRITANNO. Præſertim quum ipſiſſimo hac in Oratione ſic utitur Vocabulo. *Ita nunc per Victorias tuas*, Conſtanti Cæſar Invicte, *quicquid*

quid

quid infrequens Ambiano & Bellovaco & Trigasimo SOLO *Langonicoque restabat &c.* A Recuperata vero Britannia; *Omnis terra, omnis cœli regio vel quieta, domita, vel devincta. Nulla progrediendi causa superarat.* Quædam *enim* Nationes terminis Britanniæ cohærentes *jam nutibus Romanis obsequebantur.* Quando autem, ubi, quo in angulo, isthmo vel puncto, *cohærebat Hibernia terminis Britanniæ*? An vel temporibus *Maximiani* & *Constantij, Obsequebantur nutibus Romanorum* indigenæ Hibernenses? Dicat, sodet, *Luddus*, *Floidus*. Quin ut Lucidius omnia Lectori elucescant. Hæc modo recitata (cum in Appendice sumus) cum *Claudiano* suprascripto conferantur, & comparata (brevitatis ergò) considerentur. Hoc etenim in Themate, & *Luddi* & *Floidi* affaniarum jamdudum pertæsus, finem his imponere festino. Sed quid, O Domine Præsul, ad venerandum Ordinem Episcopalem, hæ leves de constructionibus Grammaticis, & minutioribus in scribendo punctis, nugationes. Cum ne γςῦ quidem de *Episcopis, Culdeis, Presbyteris*, mussitant *Mamertinus*, *Marcellinus*, *Claudianus*. Quæ hæc igitur asinina ignorantia, an potius criminosa malitia, in Romanis Authoribus sic distorquendis, aut nequiter reticendis, ad obfuscandum, immò amputandum (ne dicam obtruncandum) Stemma *Britannicum* Regale. Hui, hui! receptui propere canat hac in re *Cambrus*, ne sero tandem (& sine declinatione) doceatur congrue magis construere, magis & sensiliter forsan comprehendere.

Iratus Rex *est* Reginaque *non sine causa.*

FINIS:

Legat si libet, Lector Benevolus, P. 15. *L.* 27. *Meridie* pro *Meridiano*; pro *Coloniæ* etiam P. 16. L. 29. ad placitum supponat *Provinciæ*; & cætera quæ deprehenderit in Typographia, aut Interpunctione Errata, corrigat humaniter.

Additamentum.

Præsule *bellato*, *restaurat bella* Decanus:
Bella Stilinfleti *num* Buchanane *times*?

UT *Floidus* nisi inepte retaxat *Buchananum*, sic & *Stilinfletus*, pari impudentiâ, Panegyristam incassùm subdocet; Allegando, si *Eumenius* (quem Oratorem asserit) vocabulum hic *Soli* Substantivum posuisset, *Britannici* non *Britanni* addidisset. Quia (ut urget *Decanus*) sub finem hujus Orationis dixerat (scilicet) *Victoriam Britannicam*, & in alia, *Trophaa Britannica*. Esto, transeat pro utriusque Panegyrici authore *Eumenius*; Trophæa, cum Victoria, *Britannica* enuncians, expandens, enarrans: Ergòne *Solum Britannum* Auditorum in aures insusurrare ei interdictum fuerat? Quo Syllogismo, Enthymemate, Sorite, incedit hoc ad evertendos *Scotos* argumentum plusquam Achillæum. Aries interim, *O Doctor Decane*, ad movendum vel in minimo murum Chartaceum, nimis hic, ah nimis est stramineus! Fuerène *Ambiani*, *Bellovaci*, *Trigasimi*, *Langonici*, Populi æque ac *Britanni*! Ast illorum de *Solo*, sic Adjective subacto, *Ambiano* &c. *Solo*, plenis vel buccis Oratori vociferare Licitum; sed *Britanno* de *Solo* vel hiscere nefas! Heu, quot in perimendis priscis *Scotis*, a *Floido* ejusque Asseclis, Liberalium victimantur Artes: Logica, Grammatica, Rhetorica! Habetne Ars Oratoria propositam sibi copiam & flumen orationis? Fuitnè *Britannus* Adjectivum ante Panegyristam *Lucretio*?

Nam quid *Britannum* Cœlum differre putamus?
& post ipsum *Claudiano*? --- a Gadibus usque *Britannum*
Terruit Oceanum-----
----- Debellatorque *Britanni*
Littoris-----
audebatnè igitur Panegyrista, clam *Stilinfleto*, una & ea-

E dem

dem in Oratione, ad libitum uti *Britannus*, *Britannic* Adjectivorum civitate jam donatis. Et qua in Class lustratur Peccatorum, hoc facinus infandum; *Orator am-plectitur Adjectivum a Poetis constupratum!* Quem in *Ca-nonem* (Boni Viri) quæso impingit hæc, inter Arte adeo affines, cohabitatio contubernalis, familiaritas su-pecta, ipsa vel (dicam incestuosa) commixtio, in ver-bulis hinc inde detrullandis? Certe *Britannus*, *lapide* La-tis *Lydio*, rebus magis appropriatur Insulæ Naturâ nece-sariis (ut persacilè evincerem, si *Britannica* hac disceptatione, ad Cantharum *Cæcubi* CAMPANI, ALBANA qualibet Cauponula, nobis unquam confabu-landi daretur copia) cum *Britannicus*, Incolis eoru-que fortunis, moribus, aliisque variis, longe potius acco-modatur. Cùm ergo habemus *Cœlum*, *Oceanum*, *Litt* *Britannum*, velintnè Nobis cum *Decano Asaphensis*, nostro *Britanno* usque & usque interdicere? Quî qua quadrat Pastori Irenico, tantarum hæc irarum mole Aut cui, effare, bono Ecclesiæ, consociatorum suoru diutinè *Scotorum* Principes cum Antiquitate, sic stirpit sternere, saltem pro virili interlucare. Meminerit utin sæpius *Paulinus* hic *Decanus Pauli* ad *Titum* Cap. 3. 9. si non cum reliqua *Asaphensi* Sodalitate (quis en insipidus, graveolentiam Conjurationis hujus Atramen riæ, vel e longinquo non sapit) Concionem de *Vipera fabula*, JACOBO 7. 2. Prædicare, impensius sudat, a bit, alget.

Rusticus Excetra Gremio dat vivere, vulnus
Lethale infigit, gratus an ille tepor?

F I N I S.